

Christophorus Lucovius Petrus Vietorius

Disputatio Iuridica XIII. De Fideiussoribus

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728669374>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 3. Jan. 1609

Lucovii, Christ.

13
41
41

DISPVATIO JVRIDICA XIII.

De
FIDEJUSSO-
RIBUS.

Quam,

D. O. M. A,

sub Praesidio

DN. CHRISTOPHORI LUCOVII ROST.

In celebri Rostochiensium Academia privati Ex-
ercitii gratia Dn. Collegis eventilandam
proponit.

PETRVS VIETOR Rostoch.

Ad 3. Calend. Januar.
hora & locis solitis.



I. D. 175. 11.

ROSTOCHII

Typis Reusnerianis, ANNO M DC IX.

1609



MAGNIFICO, AMPLISSIMO, CLA-
RISSIMO AC CONSULTISSIMO
VIRO,

DN. HENRICO STAL-
MEISTERO J. U. D. & inclytæ Reipub. Ro-
stochiensis Consuli dignissimo, patrono & Mæ-
cenati maximo, summo Animi cultu
observando,


Juridicum hoc μελέτημα tam utile quam frequens

in debitæ observantiæ monumentum

*dicando consecrat, consecrando addicit, addicendo
submissè offerre*



Petrus Vietor Resp.



Eld, Zuzagu,
Gedöbuis



Continuat.



De Stipulationem duplici modo quem obligari posse Jct. Gaius in l. 1, §. 8. ff. d. O. & A. tradit, suo sc. & alieno nomine. De priori modo cum sup. disp. sit actum, hac presenti, quis alieno nomine dicatur, & quomodo si obligatus, pro instituti nostri ratione dispi- ciemus.

THE S. I.

Solent Homines, inquit Imp. Iustin. in pr. Inst. d. fidejuss. dum curant ut diligentius sibi sit cautum, pro sibi obligatis alios obligare, qui Fidejussores appellantur, à fide procul dubio sic dicti; quod cum destinatione quadam Animi sub fide suâ, ut loquitur. Vlp. in l. 8. in pr. ff. d. fidejuss. jubeant, vel velint quid dari fierive.

II.

Est autem Fidejussor, largâ ejus vocis significa- tione sepositâ (a) propriè is, qui ad alienam obli- gationem (b) per stipulationem accedit (c) salvâ tamen manente debitoris principalis obligatio- ne (d).

a) Generali enim Fidejussoris significatione venit etiam Expromissor, Mandator, constitutor; à quibus Fidejussor ut differt vid. Schneidvv. ad pr. Inst. d. fidejuss. & Mynsing. ibid. Non autem sponsorem Fidejussoris voce venire, sed versâ vice Fidejussorem sponsoris apellatione contineri per l. 7. & ib. Gæd. n. 15. d. V. §. putamus. Est enim omnis promissor spon- sor, at non omnis sponsor est fidejussor. Gædd. d. contr. stipul. c. 5. concl. 5. n. 31. b) Hinc fidejussio obligatio quadam est accessoria; & in l. 5. §. 16. ff. d. instit. act. & in l. 93. §. 2. ff. de solut. vocatur sequela principalis obligationis. c) Vid. infr. tb. 7. Vnde tamen patet fidejussorem

forem nudo pacto citra stipulationem non obligari. l. 12. C. d. fidejuss. §. fin. Inst. h. t. d) l. 6. §. fin. l. 16. §. 3. ff. h. t. Accessorium enim sine principali esse nequit. l. 178. ff. d. R. J. Ex quo inferitur, quod ubi non datur aliqua obligatio principalis, non possit dari obligatio fidejussoris. Gomez. tom. 2. var. resol. c. 13. n. 1. circ. fin. Ratam tamen fidejussoriam obligationem manere concludimus, si modo ab initio constiterit, licet in eum casum deveniret, quo incipere non potest. Quare si principalis sine herede decesserit, poterit nihilominus Fidejussor ex stipulatu conveniri. l. 32. in pr. ff. d. administr. tut. arg. §. 14. Inst. d. legat. Pro hereditate quoque jacente, cum persona vice fungatur, l. 22. ff. h. t. fidejussorem intervenire posse cum Duar. c. 2. h. t. non dubitamus.

III.

Causa Efficiens Fidejussionis est personæ idoneæ (a) fidejubentis voluntas (b) disertis verbis explicata (c).

a) Ad hoc ut idoneus dicatur Fidejussor requiruntur duo. 1. ut non saltem sit solvendo, sed etiam facilis conventionis. l. 3. ff. h. t. l. 2. in pr. l. 7. ff. qui satisd. cog. 2. Ut sit talis qui de jure efficaciter obligari & conveniri possit vid. infr. ib. sq. Ayres in process. histor. part. 1. c. 12. obs. 1. n. 1. b) Hanc voluntatem non solum honestatis, sed & benignitatis humanitatisque plenam, & ad conservanda rerum commercia quam utilissimam esse tum sacer Codex Gen. 42. vers. 37. c. 43. vers. 8. & 9. & D. Paul. ad Philem. c. un. vers. 18. tum Jus Civile & Canonicum, tot. tit. ff. C. & Inst. d. fidejuss. tot. tit. extr. eod. tum etiam quotidiana satis testatur experientia. Quare illorum opinionem, qui damnum ex fidejussione nonnunquam emergens considerant, Chilonis Lacedæmonij verba, Fidejussionem selcomitem esse aris alieni, litisq. miseriam, & tritum illud; sponde, præsto noxa est, circumferentes, & ob id fidejussionis modum ex Rebuspub. tollendum censentes, minimè probamus. vid. Molin. in tract. d. usur. quest. 322 n. 253. & seq. An autem Fidejussor voluntatem suam rogatus accommodare debeat, controversatur. Affirmat. gloss. ad Nov. 4. vers. si vero intercessor. lit. n. Myns. ad rubr. Inst. h. t. n. 7. Wesemb. in parat. ff. h. t. n. 2. in fin. Negativam defendit Gædd. d. cont. stip. c. 5. concl. 5. quem sequimur, per l. 20. §. 1. ff. mand. l. 30. ff. h. t.

IV.

Idonea autem ad fidejubendum persona est omnis,

mnis, qui jus stipulandi habet (a) nisi prohibeatur. Prohibetur clericus (b), servus (c), miles (d), fæmina (e) minor (f), pupillus (g), furiosus & mente captus (h), prodigus (i), summe ebrius (k), bannitus (l) & forensis (m).

a) Azo in sum. C. d. fidejuss. Hinc filiusfam. pro patre suo & alio intercedere non prohibetur. l. 10. §. 1. ff. d. fidejuss. l. 3. §. 9. ff. d. pecul. l. 5. C. quod cum eo, & c. ub. Gothofr. l. 5. C. d. fidejuss. b) per e. 1. Extr. d. fidejuss. c. te quidem 11. q. 1. datus tamen obligatur, licet ob fori prescriptionem non satis idoneus videatur. Quare si obligatus ad dandum producat Clericum fidejussorem, ab adversario licite recusari poterit. Schneidrv. ad §. fin. h. t. n. 3. c) Extra sel. rem peculiarem inscio Domino fidejubens. l. 3. §. 5. ff. d. pecul. l. 20. ff. h. t. Juris enim Civilis communionem non habet, sed pro mortuo habetur. l. 32. ff. d. R. J. d) l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog. Armis enim non privati negotijs occupati esse debent milites, ut numeris & signis suis jugiter inhærentes Rempub. à qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant. l. 31. C. d. locat. cond. Quod etiam ad nostri temporis milites extendi volumus. Gail. 2. obs. 118. Et ita in recessu Imper. Anno 1676. d. ordinat. milit. in pr. art. 18. & art. 6. in fin. sub rubr. Von bestellung des Sel-des/ vnd Kenter Rechten / & art. 1. sub. rubr. Artikel vff die Deutschen Knecht / teste Hakelman. disp. illust. quest. 22. ib. 13. lit. d. e) l. 3. ff. h. t. Fæmina enim contra propria commoda interdum laborare invenitur. l. 4. in fin. C. d. sponsal. Quare pro alio fidem suam exponentes beneficio Scti Velleiani jurantur. l. 1. & tot. tit. ff. ad Scti Vell. quod tamen in quibusdam casibus cessat, ut in casu. l. 18. l. 22. l. 23. in pr. l. 24. l. fin. C. ad Sctm. Vellei. de quibus vid. Franc. d. fidejuss. c. 2. n. 147. & seq. An autem fæmina Scto Velleiano renunciare possit inquequaq; expeditum non est: Dum modo de hoc beneficio sit certiorata posse cum Gail. 2. obs. 77. per l. fin. §. 4. ff. ad Sctm. Vell. & Nov. 94. c. 2. junct. l. pen. C. d. pact. asserimus. Diss. Conn. 6. com. 8. n. 9. Quid verò dicendum, si uxor simul cum marito fidejusserit, an obligetur? De jure negandum videtur per Nov. 134. c. 8. licet per totam Germaniam consuetudine contrarium sit receptum, ut testatur Petr. Frider. Mindan. patria nostra Syndicus lhb. 2. d. process. Cam. c. 61. n. 4. f) Cum enim beneficium restitutionis habeant, idonei fidejussores esse non censentur.

l. 48. §. 1. ff. h. t. l. 7. §. 3. ff. d. minor. g) l. 1. C. d. inutil. stipul.
 propter consilij enim infirmitatem impuberes scire vel discernere non posse
 sunt, quid è re sua sit. §. 1. Inst. quib. non est permiff. fac. test. l. 8. §. fin.
 ff. d. acquir. her. l. 1. C. d. fals. mon. h) §. furiosus Inst. d. inutil.
 stipul. Furor enim impedit consensum. l. 2. C. d. contr. empr. adeoq; volun-
 tatem. l. 5. l. 40. ff. d. R. J. Huic mente captus ex dispositione juris ut
 plurimum equiparatur. §. 1. Inst. d. curat. l. 2. ff. d. curat. fur. i) l.
 6. ff. de V. O. quia furioso equiparatur d. l. 1. ff. d. curat. fur. & d. l.
 40. ff. d. R. J. Quod tamen de illo subaudimus, qui Magistratus sententiã
 prodigus & decoctor declaratus est. l. 10. ff. d. curat. fur. Gail. 2. obs. 51.
 n. 2. contradicit Fachin. 2. contro. c. 63. k) Ebrius enim furio-
 so, c. venter. 35. distinct. & infanti comparatur c. sanè 15. q. 1. Vnde Pla-
 zo 1. d. legib. Ebrium puero similem esse dixit. l) Quod tamen de Im-
 perij bannitis intelligendum: qui enim à principe inferiore, vel comite, vel
 civitate proscriptus est, licet omnia jura ejus provincia vel civitatis specialia
 amittat, retinet tamen ea, quæ jure Imperij publico competunt, salva & inte-
 gra. Gail. lib. 2. c. 1. de pac. publ. m) qui ex loco & domicilio credito-
 ris non est. l. 1. & ibi Dd. ff. si quis in jus vocat. non iverit. Fidejussor enim
 in alio foro, quam in suo conveniri non potest, nisi privilegio fori renuncia-
 rit. Mynf. 2. obs. 5.

V.

Materia circa quam, & cui fidejussor accedere
 potest, sunt omnes omnino honestæ & possibiles
 obligationes (a) sive ex contractu, utpote, re, verbis,
 literis, & consensu; vel quasi contractu: sive ex de-
 licto (b) vel quasi delicto descendant. Nec refert u-
 trum utroq; jure, tam Naturali quam Civili (c) an v,
 alterutro, h. è. Civili tantum. (d) vel Naturali tan-
 tum (e) subsistant: an item sint principales vel Ac-
 cessorix, (f) contractæ vel contrahendæ. (g) Imo &
 casu, quo officium judicis tantum competit, fidejuf-
 sor accedere potest (h).

a) §. 1. Inst. h. t. l. 1. 2. 4. 6. l. 8. §. 1. l. 16. §. 3. ff. d. fidejuss.
 Queritur, an honestati conveniat, ut mulieri permittatur fidejussorem dotis
 tradita conservanda causã à marito accipere? Duar. in tract. d. dotib.
 c. 4. af-

6. 4. affirmat, mulieri hoc licere, si maritus ultro det fideiussorem; minimè
 autem, si à marito invito exigat fideiussorem. Sed nos Cuiac. in par. C.
 ne fideiuss. vel mand. dot. det. & Gædd. d. contrah. stipul. c. 6. concl. 23.
 n. 360. & seq. sequimur, statuentes, maritum ne quidem ultro offerentem,
 licet ad inopiam vergat audiendum esse per l. 1. & 2. C. ne fideiuss. vel
 mand. dot. det. Quid etiam constante matrimonio de dote restituenda
 verum arbitramur cum Gædd. d. loc. Quid verò si dederit maritus ultro
 Fideiussorem an obligetur? Eum non obligari verum est. Fachin. 8. con-
 trov. 76. b) l. 8. §. 5. & seq. ff. h. t. Et quidem absq. omni est con-
 troversia, si causa delicti persecutionem, habeat pecuniarium, fideiussorem
 intervenire posse l. 3. ff. qui satisd. cog. l. 70. §. fin. ff. h. t. Quod utq. adeo ve-
 rù arbitramur, ut, etiamsi Reus in flagranti crimine deprehensus, vel crimen
 confessus, vel aliàs notorium sit, vel etiam circa finem cause fideiussorem of-
 ferat, sit audiendus. Gædd. d. contrah. stipul. concl. 23. n. 408. contra
 communem. Quid si reus ob crimen, cui pena corporalis, sive sanguinis,
 sive alicujus alterius coercionis est prestituta, in carcerem conjectus, an
 dato fideiussore sit emittendus? Hoc casu tutior videtur Menoch. sententia
 lib. 2. d. arbit. jud. quæst. casu 303. n. 16. & seq. qui hoc Judicis arbitrio
 & discretioni committendum censet. per l. 1. & 2. ff. d. custod. & exb. re.
 Diff. Gomez. 3. var. resol. c. 9. n. 8. Si vero Judicis arbitrio dicto casu
 Fideiussor sit receptus, estne eadè pena, si Reus aufugiat, plendendus, qua ipse
 principalis Reus erat afficiendus? quod negamus, sed in pœna ipsi instigenda
 amplectimur Cyni in l. 4. C. d. custod. reor. distinctionem, quam refert
 Schneid. ad §. in omnibus Inst. d. fideiuss. n. 7. & seq. quo brevitatis ergo
 nos referimus. Anno igitur saltem ad carcerem pro debitore quis fideiuben-
 do se astingere potest? Negat Gail. 2. de pac. pub. c. 2. n. 21. Affirmat Hakel.
 disp. illustr. 22. ib. 17. lit. b. cui subscribimus. c) §. 1. Inst. h. t. l. 16. §. 3. ff. eod.
 Et hoc nullum admittit dubium. d) d. §. 1. quo tamen casu retinemus distin-
 ctionem à Schneid. ad §. in omnibus Inst. h. t. ex Paul. d. Castrens. & Bart. in
 l. 1. ff. d. fideiuss. exceptam. e) d. §. 1. & l. 16. §. 3. ff. h. t. l. 6. §. fin. ff. eod. l. 14.
 ff. d. pignor. Hinc pro furioso prodigo, pupillo naturaliter obligatis fideiubès,
 non solum naturaliter, sed & civiliter obligatur. d. l. 16. §. 3. l. 25. ff. h. t. l.
 127. ff. d. V. O. Bronckh. 4. enant. aff. 55. & 60. nec tamen in plus fideiussor
 obligatus intelligitur, sed efficacius. Pac. disp. 13. ib. 14. vid. infr. ib. 8. lit. g.
 Imo & pro servo obligatur, fideiussor. d. §. 1. Inst. h. t. Servù nãq. naturaliter
 ex contractibus obligari patet ex l. 13. ff. d. condict. indeb. l. 14. ff. d. O. & A.
 l. 50. §. 1. ff. de pecul. Cuiac. 8. obs. n. f) cum scil. pro fideiussore alius fideiussor
 recipitur.

recipitur. l. 8. §. fin. l. 27. §. fin. ff. h. t. Germ. Schadlos oder Ruck-
bürgen vocantur. Treuil. part. 2. disp. 28. th. 3. lit. e. g) Et ideo futura
etiam obligationi fidejussor accedere non prohibetur. §. fidejussor. Inst. h.
t. l. 50. in pr. ff. de pecul. l. 6. §. fin. ff. d. fidejuss. b) per l. 38. §. 4. ff. d. solut.
vid Gomez. tom. 2. var. resol. c. 13. n. 1.

VI.

Forma Fidejussionis est ipse fidejubendi modus,
qui potissimum consistit in solenni stipulatione, &
debiti quantitate.

VII.

Cum stipulatione Fidejussionem fieri debere tra-
ditum est (a); fitq; vel pure vel sub conditione, vel
ad tempus, vel ex tempore, (b) Etiam pro absente &
ignorante (c).

a) l. 5. §. 5. ff. d. V. O. l. 12. C. d. fidejuss. qua semper presumitur intervenisse,
si scriptum est fidejussum. §. §. fin. Inst. h. t. l. 30. ff. d. V. O. Hinc per Epi-
stolam, vel inter absentes fidejussio fieri nequit. §. 11. Inst. d. inutil. stipul. l. 1.
§. 1. ff. d. V. O. l. 1. in pr. C. d. contrah. stipul. l. 3. C. d. inutil. stipul. Pac. disp. 12.
th. 27. lit. b. quod tamen moribus nostris amplius non procedit, sed stipulatio-
nis solemnibus usu quasi desueris, per Epistolam hodie fidejussio recte fieri
potest. Treuil. part. 2. disp. 28. th. 4. lit. a. b) §. 2. Inst. d. V. O.
l. 8. §. 7. ff. h. t. ub. Wes. in parat. n. 5. in fin. Hic non inconcinne quari-
tur: Si principalis debitor in diem debeat, an fidejussor pure pro eo possit
obligari: per l. 8. §. 7. ff. d. fidejuss. negamus. Diss. Vult. ad §. 5. in fin. Inst. h.
t. c) l. 4. l. 30. ff. h. t. l. 20. §. 1. ff. mad. l. fin. C. d. negat. gest. vid. inf.
th. 15. lit. c.

VIII.

Quantitas in eo consistit, ut fidejussio, fiat in
eandem vel leviolem, (a) non autem duriolem
causam. (b) Durior autem causa est, non solum ra-
tione quantitatis (c), sed etiam rei (d) loci, (e)
& temporis (f). Quin autem efficacius fidejussor
obligari queat, extra omnem est controversam. (g)

a) §. 5. ub. Dd. Inst. h. t. l. 8. §. 7. l. 34. l. 70. §. 2. ff. h. t.
b) d. 4.

b) d. 8. Absurdum enim est, ut plus sit in obligatione accessoria quam principali d. l. 34. ff. h. t. & S. 5. Inst. h. t. De hoc controvertitur valde: Si fidejussor in majorem summam se obligavit, an in totum corruat fidejussio, an verò in concurrente parte subsistat? prius defendit Gædd. d. contr. stipul. c. 4. concl. 4. & c. 6. concl. 24. & Fachin. 8. contr. 51. posterius placet Duar. ad l. 1. §. 4. ff. d. V. O. & Gomez. 2. var. resol. c. 13. n. 2. & comm. Dd. Nos prius de jure verius putamus. per S. præterea Inst. d. inutil. stipul. & l. Gracè §. 7. verb. omnino non ff. h. t. c) ut cum fidejussor in majorem summam, quam ipse principalis obligatur, est datus. d. S. 5. Inst. h. t. & d. l. 8. §. 7. ff. h. t. d) ut cum in aliam rem, quam qua credita est, fidejussor detur. l. 42. ff. h. t. ubi Gothofr. iniquè illos facere ait, qui pecunia rusticis credita, triticum ab ijs stipulantur. e) ut si principalis pure sit obligatus, fidejussor verò cum loci adjectione accipiasur: vel si principalis Rostochij solvere constituat; fidejussor Lubeca dare promittat, obligatio illa non subsistit l. 16. §. 1. ff. h. t. ub. Gothofr. f) ut in casu. l. 49. §. 2. ff. h. t. ub. Gothofr. g) ut puta sub juramento, cum principalis sine juramento. Fabr in §. fidejussores. Inst. de fidejuss. 2. col. sub. hypoibeca cum principalis simpliciter; sub instrumento publico Guarantigio, quod executionem paratam habet, cum principalis sine eo sit obligatus. vid. Gomez. 2. var. ref. c. 13. n. 2. vel pro naturaliter tantum, vel civiliter tantum obligato, naturaliter & Civiliter simul. de quo sup. th. 5.

IX.

Finis Fidejussionis est, ut creditor reddatur securior, eiq; magis de debito sit cautum, ut cum debitor, facultatibus fuerit lassus, possit ab ijs, quos pro eo obligavit, suum consequi.

pr. Inst. h. t. §. fin. Inst. d. replicat.

X.

Effectus est, quod Fidejussor speræquè teneatur ac principalis, ad id, quod tempore fidejussionis in obligatione fuit. (a) Et si plures sint Fidejussores, quotquot erunt, in solidum singuli tenebuntur (b). Nec ipsi saltem, sed & hæredes relinquuntur obligati. (c)

a) Sive fors fuerit, sive usura. l. 68. §. 1. ff. h. t. l. 5. C. d. pact. int. empt.

B

int. empt.

int. empt. l. 8. C. quod eum eo qui in al. &c. Hic se perplexa & à multis
 agitata offert quaestio; Num Fidejussoris obligatio augeatur ex mora cul-
 pae debitoris, ut usurarum, poena, aliarumq; accessionum nomine teneatur?
 Eum non teneri cum Coras. 2. mise. 12. asserimus ub. vid. Diss. nisi in omnes
 causas se obligavit. per l. 8. ff. de eo quod cert. loc. l. 68. §. 1. ff. d. fide-
 juss. l. 54. pr. ff. locat. add. l. 10. C. d. fidejuss. non enim impuandum est
 fidejussori, quod Reus propter moram suam non praestitit. l. fin. ff. d. fidejuss.
 b) §. 4. Inst. h. t. nisi in certam partem se singuli obligarint l. 43. ff. h. t.
 Quid si creditor unum ex confidejussoribus conveniat, nec ipsi à conventio-
 nis factum, num ceteri hac electione liberentur, ita ut ad eos non detur re-
 gressus? Electione reliquos non liberari dicimus. per l. 23. C. d. fidejuss.
 c) §. 2. Inst. h. t. l. 4. ff. h. t. l. 24. C. eod. sive specialis heredum fiat
 mentio sive non. l. 13. C. d. c. onr. & comm. stipul.

XI.

Ne tamen cuiquam officium suum, ut inquit J. C.
 Gajus in l. 7. ff. testam. quem. aper. sit damnosum,
 jura Fidejussoribus quoq; pro benefico praestitae fi-
 dejussoris munere beneficia indulserunt, eaq; tria;
 Excusationis scil. quod & Ordinis vocatur, Divisio-
 nis, & cedendarum actionum.

XII.

Cum veteri jure creditori potestas fuerit, omisso
 reo principali, statim Fidejussorem convenire (a)
 mirius cum eo Iustinianus agendum censuit, ac in-
 troduxit, ut Fidejussor non conveniatur, nisi prius
 excusis bonis, rei principalis praesentis, qui solven-
 do est, vel esse creditur (b).

a) l. 3. l. 5. l. 23. C. d. fidejuss. b) Auth. praesente C. d. fidejuss.
 Nov. 4. c. 1. Hoc beneficium ope Exceptionis tantum fidejussori competit,
 qua neglecta iudicium valebit. Gail. 2. obs. 27. n. 2. An autem illa Ex-
 ceptio sit Dilatoria vel peremptoria non convenit inter Dd. gloss. in l. 32
 ff. d. except. eam anomalam esse dicit. Cynus in Auth. praesente C. de fi-
 dejuss. Dilatoriam eam facit. Gail. d. obs. 27. n. 2. & Gerd. d. contrab.
 stipul. c. 9. n. 103. jure quidem stricto eam dilatoriam, sed aequitatis intuitu
 perempto-

petemptoriam esse statuant, quibus adharemas. Disceptatur quoq; non le-
 viter; Utrum Fidejussor, qui se obligavit principaliter als selbst schül-
 Dener / gaudeat beneficio Excussionis? Affirmativam magni nominis Jcti
 amplectuntur. Molin. d. usur. q. 7. qua etiam in praxi frequentior Dr.
 Ernest. Cozman. conf. 22. in fin. Sed de negativa quid statuendum, sub
 disput. cum Gail. 2. obs. 28. videbimus. De indemnitate autem fidejussore
 an schaden vnd Ruckbürg non dubitamus, quin beneficio Excus-
 sionis gaudeat. Gail. d. obs. 27. n. 12. Gomez. 2. var. resol. c. 13. n. 3. Ces-
 sat hoc beneficium multis casibus, de quibus vid. Schneidvv. ad S. si plures
 Inst. h. t.

XIII.

Secundum Divisionis scl. beneficium est ex Epi-
 stola D. Hadriani, (a) quo pluribus confidejusso-
 ribus, qui litis contestatae tempore sunt solvendo (b)
 subvenitur, ut creditor cogatur dividere actionem,
 & à singulis petere virilem (c).

a) Cujus fit mentio in S. 4. Inst. h. t. in l. 26. 27. S. 1. ff. h. t.
 in l. fin. C. d. const. pec. b) Inopia enim confidejussoris post litem con-
 testatam superveniens confidejussorem non gravat. d. S. 4. Inst. h. t. l. 51.
 S. 1. & 4. ff. h. t. c) d. S. 4. Inst. h. t. d. l. 26. ff. h. t. l. 51. S. 1. ff. eod.
 Hoc beneficium aequè ut prius ope Exceptionis pretenditur. d. l. 26. l. 49. S. 1.
 ff. h. t. quam de aequitate ad sententiam usq; opponi posse cum Gomez. 2.
 var. resol. 13. n. 15. asseveramus. Quid dicendum, si minor una tecum fi-
 deiussit, an facta restitutione minoris, tu in solidum conveniri possis, an sal-
 tem pro parte? Hoc putat Cuiac. 20. obs. 23. in fin. Si vero post tuam fide-
 iussionem minor intervenerit, in solidum te obligari certum est, per l. 48.
 S. 1. ff. fideiuss. ub. Gathofr. Cessat hoc quoq; beneficium multis casibus,
 de quibus vid. Scheidvv. ad S. si plures n. 20. & seq. h. t.

XIV.

Tertium beneficium scl. cedendarum Actionum
 à jure concessum est, ut creditor actiones sibi com-
 petentes cedat fidejussori solidum solventi, quibus
 adversus confidejssores ad viriles portiones age-
 re potest. (a) petiq; debet cessio solutione non-
 dum facta (b).

a) l. 17. 39. l. 41. §. 1. ff. h. t. l. 76. ff. d. solut. l. n. C. d. fideiuss.
b) Solventi enim nulla actio adversus confideiussos datur, cum solutio eius, quod debetur, omnem obligationem tollat. pr. Inst. quib. mod. toll. obl. & solutione unius liberentur reliqui. d. l. 76. ff. d. solut. & d. l. 39. ff. h. t. Quare si creditor cedere nolit, fideiussor ut præter virilem portionem solvat. compelli nequit l. n. C. h. t. sed agentem creditorem doli exceptione repellere potest. arg. l. 1. ff. d. dol. mal. except.

XV.

Cessis actionibus, & facta solutione (a) competit fideiussori adversus principalem debitorem, ejusque hæredes vel Actio mandati (b) vel negotiorum gestorum (c), quibus non solum principalem sortem, sed etiam quicquid fideiussionis nomine damni, injuriæve passus est, consequitur (d).

a) Licet regulariter fideiussor ante solutionem principalem convenire nequeat, ubi tamen periculum in mora est, rectè ante solutionem ad liberationem agere, ut, si debitor solutionem prorahat & si post obligationem prodigus existat. l. 10. §. 1. ff. qui satid. cog. l. 38. in fin. ff. mand. l. 10. C. mand. Fura enim vigilantibus non oscurantibus subveniunt. l. 24. in fin. ff. que in fraud. cred. b) §. 6. Inst. h. t. l. 47. ff. d. cond. et. ind. l. 14. C. h. t. l. 26. §. 2. l. 53. ff. mand. l. 6. C. mand. Hac actione fideiussor agere potest contra principalem absq. cessione. d. l. 26. §. 3. ff. mand. non etiam contra confideiussorem. l. n. C. d. fideiuss. c) Si scilicet pro absente, & ignorante fideiussor est. l. 4. l. 30. h. t. l. 53. ff. mand. non autem pro invito, vel specialiter prohibente. l. fin. C. d. negot. gest. nisi persona liberande causa, tum enim id quod solutum est optimo iure repetere potest. Gomez. 2. var. res. c. 13. n. 11. d) d. §. 6. Inst. h. t. licet id à principio expressum non sit; nulli enim officium suum debet esse damnosum. l. 7. ff. test. quem aper. l. 61. §. 5. ff. d. fur.

XVI. Ex

XVI.

Expirat Fideiussio tanquam accessorium iisdem modis, quibus stipulatio, vel contractus principalis.

l. 43. ff. d. solut. Fitq; hoc multis modis, quos vid. sub. tit. Inst. quib; mod. toll. obligat. & gloss. ibid. in fin. qua sedecim modos tollenda obligationis recenset, de quibus suo tempore & loco dispendendum veniet, quo nos proximitatis vitanda causa remittimus. Claudat tamen hoc *μελέτημα* nostrum ambigua ista & multum agitata quaestio; An prorogatione termini à creditore debitori infixo fideiussore facta fideiussoria d. solvatur obligatio, & fideiussor liberetur? Gomez. 2. var. resol. 13. n. 21. indistinctè id negat. Specul. in tit. d. fideiuss. §. 1. vers. illud autem quaeritur, affirmat. Gail. 2. obs. 30. n. 11. & Myns. 6. obs. 53. distinguendum putant, aut n. fideiussor se obligavit purè & simpliciter, & non liberabitur: aut se obligavit ad certum tempus, & liberabitur, modo dies restringenda obligationis, non solutionis gratia sit adiecta. Et hanc opinionem ut veriore & equiorem amplectimur. l. 7. C. d. locat. l. 13. §. 11. ff. eod. Prout autem dubia & anceps est haec quaestio, ita cautiore eo casu solent esse creditores, & clausulam hanc addere, quia faciunt fideiussorem promittere. Das
er der Bürgschafft nicht ehr wolle loß sein/ es sey dann
Brieff vnd Siegel durch ehrbare zahlung
gelöset.



B 3.

Coroll.



Coroll.

I.

An clausula illa consueta alles trewlich vnd ohn
geschrde / ex stricti juris contractu faciat bonæ fi-
dei? N.

II.

An Fidejussorem dare obligatus dando pigno-
ra liberetur? N.

III.

Si fidejussor datus ex post facto fiat non sol-
vendo, an teneatur debitor alium idoneum præ-
stare? Disting.

IV.

An fidejussor legitimè datus deportatione rei
principalis liberetur? N.



HVMA.

HUMANISSIMO DN. RESPONDEN-
ti amico suo ex affe.

Versiculos, mi Petre, Meos tibi posse negari,
Mutua Pierio, vis ab amore negat
Mitto igitur grata mentis tibi signa, valore
Parva, sed ingenuâ dantis amicta fide.
Legumlatricis suboles Astræa Themistos,
Templum in sublimi vertice montis habet.
Conspicis haud unos hoc affectare cacumen,
Petre, sed Affectu, non Ratione duce.
In studiis Ductore opus est (mihî credito Petre,)
Qui sequitur ductum, ductor honoris erit.
Hactenus & Latia Graeaq; affamina Lingua,
Compertus summi quâ docuere Sophi.
Nunc & Sulpitios jurum Legumq; Magistros,
Celsaq; fatidica sacra Themistos adis.
Docto igitur Ductore opus est, curaq; sagaci,
Doctus ut ad Themidos templa beatus agas.
Ipse ope Lucovius largâ tua cœpta iurabit,
Ducet ad Eimonia per juga celsa domum.
Lucovio Ductore sacra sub resqua Themistis,
Tendis: ad hunc ductum pergere: perge Petre.
Tu quid

Tu quid agas dicam? Themidos Fidejussor habetis
 Si juris studium per vigilas ingrederis.
 Gnaviter at facis hoc, leges dum discere flagras
 Quo sedeat toto, corpore pulcra Themis.
 Quamvis difficile est legum perquirere nodos;
 Attamen hoc superat cura sagaxq; labor.
 Atq; ita quanta tua doctrina atq; indolis est vis,
 Collegio dabis hoc, quiq; jurabit erit.
 Petre Tuis sociis jam jam comitatus adesto
 Ipse meum faciam, dein facient reliqui.
 Sic hoc quod potui pro longo Anagrammatis orsu,
 Reddo Epigramma breve hoc, reddere parne pa-
 ri est?

Μεγάλης Φιλίας ένεικα acclamabat

Henricus Volckmarus Lemgo-
 viensis Westphalus.





XVI.

Expirat Fideiussio tanquam accedem modis, quibus stipulatio, vel con-
cipalis.

l. 43. ff. d. solut. Fitq; hoc multis modis, quos videmus mod. toll. obligat. & gloss. ibid. in fin. qua sedecim modis recenset, de quibus suo tempore & loco dispendiendi proximitatis vitanda causa remittimus. Claudat tan nostrum ambigua ista & multum agitata questio; An ni à creditore debitori infcio fideiussore facta fideiussor gatio, & fideiussor liberetur? Gomez. 2. var. resol. 13. negat. Specul. in tit. d. fideiuss. §. 1. vers. illud autem mat. Gail. 2. obs. 30. n. 11. & Myns. 6. obs. 53. distinguunt. fideiussor se obligavit pure & simpliciter, & non liberabit ad certum tempus, & liberabitur, modo dicit reser- non solutionis gratia sit adiecta. Et hanc opinionem ut orem amplectimur. l. 7. C. d. locat. l. 13. §. 11. ff. eod. bia & anceps est hac questio, ita cautiores eo casu solen- clausulam hanc addere, quia faciunt fideiussorem pro- ex der Bürgschafft nicht ehr wolte loß sein/
Brieff vnd Siegel durch ehrbare zah-
gelöset.



B 3

